

00
A
347

P. e. 99

J. VII, 895.

~~III 4/10 9 V 17~~

DEO TER OPT. TER MAX.
ANNUENTE.

Disputationum Theologicarum

IN QUIBUS FUN-
DAMENTA VERÆ ET
VIVIFICÆ CONSOLATIONIS PER
Pontificias, Calvinianas ac Photinianas do-
ctrinæ cœlestis corruptelas labefactari,
ostenditur,

P R I M A.

Ad publicam συζήτησιν
proposita

à

JOHANNES GERHARDO
S. THEOLOGICÆ DOCTORE ET
in Academia SALANA Professore.

Q U A M

defendendam suscipiet

M. JOHANNES COLERUS
SCHLAICENSIS VARISCUS.

Ad diem VIII. Id. Martii.

Horis & loco destinatis.

A N N O M. DC. XVII.

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.





DISPUTATIONIS PRIMÆ

T H E S I S I.



*U*acumq; antè scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem haberemus, effatum est Apostolicum Rom. 15. v. 4.

2. Ex quo rectè colligitur, legitimam Scripturæ interpretationem eo modo instituendam, ut ad hominum doctrinam & piorum consolationem sit directa.

3. Quæcunque igitur Scripturæ interpretatio convellit vel enervat fundamentum veræ ac vivificæ consolationis à Deo in illa propositæ, non est legitima, nec à Deo, (qui est ὁ θεὸς τῆς παρακλήσεως Rom. 5. v. 5. atque ut notanter additur 2. Cor. 1. v. 3. ὁ θεὸς πάσης παρακλήσεως) profecta.

4. Fundamentum omnis divinæ ac salutaris consolationis est Christus θεὸν γεννητός Mediator, Redemptor ac Salvator noster in secula benedictus.

5. Quemadmodum enim fons omnis mali est peccatum, Roman. 5. vers. 12. ita ex adverso fons omniseconsolationis peccato & peccati pœnis, hoc est, malo culpæ & malo pœnæ opponendæ est expiatio peccati per Christum Mediatorem præstita.

6. Omnes Dei promissiones in Christo sunt, τὸ ναὶ καὶ τὸ ἀμὴν 2. Cor. 1. v. 20. ergo etiam omnis divinæ consolationis fons & fundamentum in Christo unicè quærendum.

7. Christus est unica salutis nostræ *petra* 1. Cor. 10. v. 4. quæ sola nobis in ἀγῶνι hujus mundi deserto oberrantibus aquam vivificæ consolationis suppeditat, ne æternâ siti in *fovea*, in qua non est aqua Zachar. 9. v. 11. nobis pereundum sit, unde ipse Johan. 4. v. 14. dicit. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in illo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

8. Christus est panis ille verus de celo datus, panis ille Dei, panis ille



vita, qui dat vitam mundo Johan. 6. v. 32. 33. 35. absq; eo si esset, æternâ fame nobis pereundum foret.

*Oeconomia
salutis nostræ.*

9. Cæterum hæc salutis & consolationis in Christo nobis propositæ & exhibitæ *Oeconomia* in Scripturis sacris sic describitur.

10. *Elegit nos Deus ab initio ad salutem in sanctificatione Spiritus & fide veritatis* 2. Thess. 2. v. 13. *elegit nos in Christo ante facta mundi fundamenta* Ephes. 1. v. 4.

11. Ad salutem illam, ad quam τὸς μέλλοντας πιστεῖν I. Tim. 1. v. 16. ab æterno Deus *elegit* in tempore per certa media ac certo ordine eosdem perducit.

12. Neque enim immediatè cum hominibus convertendis & salvandis agit, sed per *verbum* ad conversionem & salutem in illis est efficax.

13. Verbi illius duo sunt præcipua capita, *Lex sc. & Evangelium.*

14. *Ex lege* est peccati in omnibus hominibus post lapsum protoplastorum naturaliter hærentis *agnitio* Rom. 3. v. 20.

15. Sollemnis igitur illa legis promulgatio Exod. 19. ejusdemq; in Ecclesia prædicatio nequaquam eò spectat, quasi possint homines perfectam legi obœdientiam præstare & per eam ad amissam salutem iterum aspirare.

16. *Infirmatur enim per carnem* Roman. 8. v. 3. hoc est, infirmitas carnis impedit, quò minus lex perfectè impleri possit.

17. Sed in verbo *Evangelii* medicina nobis monstratur ac proponitur.

18. Illud enim Christum Mediatorem pro peccatis nostris in ara crucis mortuum nobis proponit.

19. Per hanc legis & Evangelii prædicationem operatur Spiritus sanctus in cordib. hominum veram & salutarem *pœnitentiam.*

20. Cujus partes duæ sunt. *Contritio*, quæ est ex lege, & *Fides*, quæ est ex Evangelio.

21. Fidei objectum est *Christus Mediator*, cujus beneficia in verbo Evangelii oblata per fiducialem apprehensionem sibi applicat ad *justificationem*; effectum sunt fructus *bonorum operum*; fulcrum sunt *Sacramenta* divinitus instituta, *Baptismus sc. & Eucharistia* in N.T. finis, est *vita æterna.*

22. In hac salutis nostræ catena omnis solidæ ac vivificæ consolationis fundamentum nobis proponitur, quod variis ac diversis modis labefactant Pontificii, Calviniani & Photiniani.

23. De

23. De Pontificiis primò videbimus. Statuunt illi electionem factam esse ex prævisis meritis, sive propter prævisa merita. Becanus in *De electio-*
ne. Theologia Scholastica part. 1. tract. 1. cap. 14. pag. 146. ubi præter
Scholasticos hujus assertionis patronos adducit Piggium, Ofo-
rium, Tapperum, Driedonem, Eccium, Turrianum, Stapletonum,
Molinam, Gregorium de Valentia, Lessium, &c. Jacobus Hac-
kerus in disp. Friburgi Anno 614. instituta contra Andream Ur-
cianum Monachum Franciscanum.

24. Bellarminus quidem speciosè disputat lib. 2. de grat. & lib.
arbitrio cap. 9. col. 603. Prædestinationis divinæ nullam rationem ex par-
te nostri assignari posse. Per nomen rationis, dicit, se excludere non solum
merita propriè dicta, sed etiam bonum usum liberi arbitrii aut gratiæ, aut
utriusq; simul à Deo prævisum, etiamsi non dicatur esse meritum, sed tan-
tum conditio, sine qua non prædestinaretur is, qui prædestinatur.

25. Sed inanes sunt verborum fumi, quibus oculos simplicio-
rum perstringere conatur. Nam lib. ejusd. cap. 14. col. 627. sub-
jungit. Electio æterna duobus modis considerari potest, primo modo, ut est
intentio dandi gloriam, secundo modo, ut est dispositio executionis, & quasi
executio in mente divina. Priore modo (inquit) electio est merè gratuita &
nullam prærequirit operum prævisionem. Posteriore modo præexigit merito-
rum prævisionem, non enim vitam æternam sub ratione præmi Deus dare
disposuit, nisi iis, quos benè operaturos prævidit.

26. Atqui cum Scriptura nunquam & nusquam electionem
pro nuda intentione dandi gloriam accipiat, sed benevolam illam
Dei de salute hominum voluntatem ab electione disertè distin-
gvat Rom. 8. v. 28. Ephes. 1. v. 5. 9. 11., Ideò unâ liturâ Bellarminus
tollit, quæ per aliquot capita contra prævisionem meritorum à
Scholasticis & aliis Pontificiis assertam disputavit.

27. Neque enim illi hoc volunt, Deum prævisis hominum
meritis motum ac impulsam fuisse, ut benevolam ac beneficam
illam de hominum salute voluntatē conciperet, sed causam qua-
re Deus hos & non reliquos elegerit, in prævisione meritorum
constituunt.

28. Idipsum cum Bellarminus disertis verbis asserat, quid est,
quod otiosè hypothetice peregrinam oppugnet?

29. Nec potest Bellarminus salvis doctrinæ Pontificiæ hypo-
thesibus aliter statuere, quam electionem ex prævisis meritis esse
factam.

factam. Quo enim modo & propter quod Deus in tempore homines actu salvat, eo etiam modo & propter illud ab æterno eos salvare constituit, hoc est, ad vitam æternam eos elegit, id quod probat divinæ voluntatis immutabilitas & evidentia Scripturæ dicta Rom. 8. v. 29. Eph. 1. v. 3. 2. Tim. 1. v. 9. Jam verò ex hypothese Pontificiorum propter merita bonorum operum Deus in tempore homines salvat. Ergo etiam propter merita operum ab æterno eos salvare constituit, hoc est, ad vitam æternam eos elegit. Plura videri possunt in loco de electione §. 196. & seqq.

30. Atqui hæc assertio de electione ex prævisis meritis tollit fundamentum vivificæ & solidæ consolationis in articulo electionis nobis propositum.

31. Si enim ex prævisis meritis & propter prævisa merita facta est electio, consequens erit, eos quorum opera non sunt perfecta, non posse statuere se esse in electorum numero.

32. Ratio connexionis est manifesta. Ut n. opera sint meritoria, requiritur omninò, ut sint perfecta. *Opera bona justorum* (scribit Bellarminus lib. 5. de justificatione cap. 4. §. ult.) *sunt verè, hoc est, perfectè justa satisfaciunt legi divinæ, & justificant hominem, hinc sequitur, quod sint verè meritoria.* Ergo à contrario sensu. Si opera bona non sunt verè & perfectè justa, nec satisfaciunt legi divinæ, non erunt verè meritoria.

33. Jam verò opera nostra non sunt perfecta. 1. quia non assequuntur summum perfectionis gradum in lege præscriptum. Vide tract. de Lege Dei §. 182. & seqq. 2. non procedunt totaliter ex Spiritu, hoc est, ab eo, qui totus est spiritualis omni vetustate carnis abolitâ. Rom. 7. v. 14. 3. Non sunt conjuncta cum perfecta Dei dilectione, 4. Adhæret illis peccati immundities. Vide tractat. de bonis operibus. §. 64.

34. Nec solum Scriptura & legis divinæ norma, sed etiam experientia & conscientia nos convincit, opera nostra non esse perfecta, ac proinde nec meritoria.

35. Quòd si igitur electio non nisi ex prævisis meritis, juxta Pontificiorum hypothesein est facta, & verò opera nostra non sunt perfecta, nec meritoria, quomodo statuere possumus, nos esse in numero electorum?

36. Vident hoc Pontificii, unde in Concil. Trid. sess. 6. cap. 12. statuunt, *neminem quamdiu in hac mortalitate vivitur de arcano divinæ predestinationis mysterio, usq; ad id præsumere debere, ut certò statuat, se esse omninò*

omnino in numero prædestinatorum, cum non nisi ex speciali revelatione sciri possit, quos Deus elegerit, ac Bellarminus lib. 3. de Justificat. cap. 12. multis refellere conatur, certitudinem justificarum de prædestinatione.

37. Contra verò Petrus 2. Epist. 1. v. 10. jubet, ut firmam faciamus vocationem & electionem nostram, ac Paulus explorare nos ipsos jubet 2. Cor. 13. v. 5. an in fide simus, an Christus in nobis sit.

38. Nequaquam tamen talem absolutam certitudinem electionis & salutis introducimus, quâ statuatur vel statui debeat, semel renatos non posse iterum amittere fidem, Spiritus sancti inhabitationem & salutem, si vel maximè peccatis atrocibus contra conscientiam sese involvant.

39. Sed cum fide timorem filialem conjunctum esse debere dicimus ac probè cavendum, ne pro fide & certitudine Spiritus carnalis securitas sese ingerat 1. Cor. 10. v. 12, Phil. 2. v. 12. Videatur tract. de Electione, § 208.

40. Ceterum per doctrinam de electione propter prævisa merita labefactari fundamentum consolationis ex hoc articulo depromendæ, ulterius sic ostendimus. Omnis consolatio ex articulo electionis petenda nititur hoc principio, quòd electio nostra sit gratuita ac fundata in Christo Mediatore.

41. Inde vocatur electio gratia Rom. 11. v. 6. ac notanter dicit Apostolus Eph. 1. v. 4. Elegit nos Deus in Christo antè jacta mundi fundamenta, ac 2. Tim. 1. v. 9. gratiam illam, quâ Deus ab æterno nos elegit & in tempore nos vocat vocatione sanctâ, in Christo nobis datam asserit ante tempora secularia, inde infert 2. Tim. 2. v. 19. firmum stat fundamentum Dei habens signaculum hoc, Dominus novit qui sint sui & discedat ab iniquitate omnis, qui invocat nomen Christi.

42. Jam verò si ex prævisis meritis & propter prævisa merita facta est electio, non ampliùs est gratuita; nec in Christo fundata.

43. Ut enim in articulo justificationis est perpetua oppositio inter fidem & opera inter gratuitum ac meritorium, &c. ita quoque in articulo electionis ea sibi invicem opponuntur.

44. Inde cum Apostolus Rom. 11. v. 5. electionem gratiæ dixisset, immediatè subjungit v. 6. Si autem ex gratia, jam non ex operibus. alioqui gratia non ampliùs est gratia. Si verò ex operibus, jam non ampliùs est gratia, alioqui opus non erit ampliùs opus.

45. Electi dicuntur filii promissionis Rom. 9. v. 8. jam verò promissio non apprehenditur operum meritis, sed fide. Ergo nec electio est ex prævisis operum meritis.

46. Elegio

46. *Elegit nos Deus, ut essemus sancti & immaculati* Eph. 1. v. 5. non quia futuri eramus sancti. Prædestinavit nos *in seipso*, ibid. ergo in nobis nihil invenit, propter cujus dignitatem ac meritum nos prædestinaret.

47. Si propter prævisa merita nos elegit, electio non amplius fundata est in solo Christo Mediatore per fidem apprehenso. Ut enim Apostolus concludit, *evacuatos esse à Christo, qui in lege* (id est, in operibus legis) *justificationem quærunt*, Galat. 5. v. 4. ita pari ratione inferre possumus, evacuari electionem in Christo fundatam ab illis, qui in lege, id est, in legis operibus electionem quærunt.

48. Exactissime enim sibi respondent electio & justificatio, ut decretum & executio decreti. Quod Deus in tempore agit, est manifestatio ejus, quod ab æterno agere decrevit. Prædestinatio est præordinata vocatio, justificatio & glorificatio; ac vicissim, vocatio, justificatio & glorificatio est consummata prædestinatio. Rom. 8. v. 29.

49. Gratis vocamur, gratis justificamur, gratis glorificamur, ergo etiam gratis electi sumus.

50. In Christo vocamur, in Christo justificamur, in Christo glorificamur, ergo etiam in Christo electi sumus.

51. Quicquid hac in parte operum humanorum meritis tribuitur, gratiæ Dei & merito Christi detrahitur, ex quo apparet, doctrinam, de electione ex prævisis meritis labefactare fundamentum consolationis in hoc articulo nobis propositum. Plura contra hunc errorem argumenta vide in tract. de electione §. 193.

52. Notandum tamen, quod distingvendum sit inter bonorum operum testimonium ac meritum. Non negamus bona opera testari de fide, in qua electi sumus, velut fructus testantur de arbore, exerit enim sese vera illa fides per seriam Dei invocationem, patientiam in cruce & studium sanctitatis. Sed ex hoc bonorum operum testimonio non potest inferri eorundem in electione vel justificatione meritum, ut suo loco plenius demonstratum fuit.

53. *Nostri electio* inquit Augustinus lib. 6. hypognost. *est divine voluntatis donum, non humane fragilitatis meritum.*

De verbo
Dei

54. Ceterum consolationem peccatis & peccatorum pœnsi opponendam proponit nobis Deus in suo verbo voluntatis divine internuncio, quod est fons consolationis unicus, idemque uberrimus.

uberrimus. Psal. 23. v. 4. *Virga tua & baculus tuus (verbi) ipsa me consolata sunt.* Psal. 119. v. 49. *Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spes dedisti.* vers. 50. *hæc me consolata est in afflictione mea, quia eloquium tuum vivificavit me,* v. 92. *Nisi lex tua meditatio mea, periissem in afflictione mea.*

55. Hunc consolationis fontem obstruunt Pontificii, quando *lectione Scripturæ sacræ Laicis interdicunt.* Hosius de express. Dei verbo tom. 1. pag. 640. Censura Colon. pag. 119. Bellarm. lib. 2. de verbo Dei. cap. 15. &c.

56. Scripturarum sacrarum frequens & assidua lectio suppeditat in omnibus adversis solidam consolationem, ut patet ex verbis Chrysostomi, qui in Epistola quadam omnis generis calamitates enumerans, peculiarem consolationem ex Scriptura depromptam singulis opponit. *Cum à civitate fugarer (inquit) dicebam intra meipsum, siquidem vult Regina me exulem agere, agat in exilium. Domini est terra & plenitudo ejus. Et si vult secare, secet, idem passus est Esaias. Si vult in pelagus me mittere, Ionæ recordabor. Si vult in caminum injicere, idem passi sunt tres illi pueri. Si me feris vult objicere, objiciat. Danielis in lacum leonum abjecti reminiscar. Si me lapidare vult, lapidet, socium habeo Stephanum protomartyrem. Et si caput tollere vult, tollat, habeo socium Iohannem Baptistam. Et si substantiam auferre vult, auferat, nudus exivi ex utero matris meæ, nudus etiam revertar.*

57. Ergo Laicos à Scripturarum lectione prohibere est consolationem adversis opponendam illis adimere.

58. *Quæcunq; scripta sunt, ad doctrinam nostram scripta sunt,* inquit Apostolus Rom. 15. v. 4. *Vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem haberemus.* Jam verò quæcunque scripta sunt, non solis Clericis, sed toti Ecclesiæ scripta sunt Deut. 6. v. 9. cap. 31. vers. 11. 1. Cor. 1. v. 2. 1. Thess. 5. v. 27. 1. Johan. 2. v. 12. Ergo etiam Laici pars Ecclesiæ non minima Scripturas sacras legere & consolationem ex illis petere debent.

59. Disputat Bellarminus d. 1. ac defendere conatur Gretserus tom. 1. p. 837. Laicos à Scripturæ lectione arcendos, *cum in ea referantur adulteriam Davidis, incestus Thamar, ebrietas fratrum Iosephi, &c.* Nos longè rectius concludimus, invitandos esse Laicos ad Scripturæ lectionem, cum proponantur in ea, non solum necessaria & utiles doctrinæ sed etiã solida ac firma consolationis fundamenta

B

omnib.

omnib. scitu maximopere necessaria. Lapsus illos Sanctorum non ad imitationem, sed ad nostram emendationem scriptos esse novit, qui verba Decalogi novit. *Non cadendi, sed resurgendi sunt exempla, divinae gratiae indicia & humanae fragilitatis monitoria.*

60. Apostolus cum dixisset Coloss. 3. v. 15. *Pax Dei βαβυετω πατ-
mam deferat*, ac instar brabeutæ omnia regat *in cordibus vestris*, im-
mediate subjungit v. 16. *verbum Christi εννοειτω* non peregrinetur
apud vos sicut hospes veniens honorificè quidem accipitur at
mox dimittitur, sed *habitet inter vos πλεσιως abundanter*, ostendens
tunc demum, pacem Christi & consolationem Spiritus sancti in
cordibus nostris regnare, si verbum Christi in nobis opulenter
habitet, ad quod requiritur, ut verbum audiamus, legamus, me-
ditemur, scrutemur, ei que sedulo attendamus.

61. Quicumque ergo prohibent, quò minus verbum Christi
πλεσιως inter Christianos habitet, à pace Dei & consolatione Spi-
ritus sancti illos arcant.

62. Nec est, quod regerant, *Laicis in concionibus ex verbo tantum
proponi, quantum ad consolationem & salutem illis sufficit.*

63. Prophetæ enim & Apostoli non solum vivâ voce, sed et-
iam scriptis Dei voluntate & Spiritus sancti impulsu auditores
cōsolati sunt 2. Thess. 4. v. 13. *Nolumus vos ignorare fratres de dormienti-
bus, ut non contristemini sicut ceteri, qui spem non habent.* 1. Johan. 1. v. 4.
Hæc scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit plenum.

64. Ergo parte aliqua consolationis privantur Laici, si à Scri-
pturarû Prophetarum & Apostolicarum lectione arcantur; neq;
enim in textu, qui in Papatu populo prælegitur, omnes consola-
tionum fontes continentur, neque in explicatione textus ex aliis
locis adducuntur.

65. Quin potius à prælectione textus plerique sacrificulo-
rum Pontificiorum statim delabuntur ad legenda Sanctorum,
ad disputationes contra hæreticos, quos ita vocant, ad humanas
traditiones, &c. Sicque aridas auditorum conscientias consolatio-
num Evangelicarum avidissimas relinquunt sitientes.

66. Quas ex Evangelicis pericopis consolationes proponunt,
eas fermento humanarum traditionum de meritis ac satisfactio-
nibus propriis, de cultibus electitiis, &c. miserè pervertunt,

67. Quam

67. Quàm verò crudele est & contra Naturam infanti recens nato, lac maternum tanquàm amicum & maximè conveniens alimentum vel negare vel corrumpere, ac in locum ejus substituere aliud quiddam, ex quo infans non crescat, sed tabescat; tam atrox quoque, imò longè atrocius crimen est, verbum gratiæ gregi Dominico adimere, vel humana commenta ei commiscere, unde homo interior non crescat, sed extabescat. 1. Cor. 3. v. 2. 1. Pet. 2. vers. 2. Hebr. 5. v. 12. ex quo nihil aliud nisi mors spiritualis sequi solet.

68. Scriptura est *communis Medica animarum officina* inquit Basilius in P. I. quid ergo aliud faciunt, qui à Scripturæ lectione homines arcent, quàm quod ab animarum medicina & consolatione eos prohibent?

69. Qui à puris ac limpidis Israëlitis fontibus ad turbidas humanarum traditionum & opinionum lacunas auditores suos deducunt, de illis conqueritur Dominus justissimè Jerem. 2. vers. 13. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas,*

70. Huc referri potest illud, quod Pontificii statuunt *omnium dogmatum* (ac proinde etiam omnis consolationis in Scripturis propositæ) *firmitatem pendere ab autoritate præsentis Ecclesiæ.* Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 25. hoc est, ut ultima analysis docet, Pontificis Romani, nec dum tamen certi sunt, an Pontifex errare possit, necne, quâ de re plenius in loco de Ecclesia agemus. At hac ratione incertum ac lubricum & fidei & consolationis Christianæ statuitur fundamentum.

71. Videamus quomodo in specie & legis & Evangelii doctrinam pervertendo limpidos illos Israëlitis fontes cœno humanarum opinionum Pontificii conturbent, & hac ratione solidam ac vivificam consolationem territis conscientis eripiant.

72. *Legem à renatis perfectè impleri posse, & per illam legis impletio- nem eos justificari,* docent Conc. Trid. sess. 6. can. 18. Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 13. lib. 4. de Justific. cap. 10. Contra quem errorem latè disputavimus in Tract. de Lege Dei §. 182.

73. Hoc loco illud duntaxat urgemus, quod per hanc doctrinam fundamentum solidæ consolationis in gratuita per & propter Christum justificatione credentibus propositum convellatur.

74. Cùm enim non solum S.S. in verbo exterius, sed etiam in cordibus piorum interiùs testetur conscientia, obœdientiam piorum in hac vita non assurgere ad gradum perfectionis in lege præscriptum, Rom. 7. v. 14. Gal. 5. v. 17. 1. Joh. 1. v. 8. Jacob. 3. v. 2. perpetuò de Justificatione dubitandum erit, si non nisi ex legis impletione ea est speranda.

75. Quod de interno conscientia testimonio diximus, quo quilibet pius convincatur de obœdientia suæ legi præstita imperfectione, id confirmatione uberiore indigere neutiquam existimamus. Ecquis enim in dilectione Dei ex toto corde, tota anima, tota mente & omnibus viribus præstanda se satis fervidum esse sentit? quis in Dei timore & amore quandoque remissum sese fieri negare audeat? quis tali ac tantâ patientiâ, qualem ac quantam lex Dei requirit, afflictiones sese sustinere, gloriari audeat? quis in precibus semper est attentus? cui non obrepunt dubitationes de exauditione? quis officii sui partibus omnibus exactè satisfacit? quis proximum ut seipsum perpetuò diligit? quis à pravis concupiscentiis se immunem esse asseret?

76. Quòd si frigitur non nisi ex perfecta legis impletione à nobis præstita speranda est justificatio, perit omnis territarum conscientiarum consolatio.

77. Illud ipsum, quòd scilicet post lapsum nec perfecta legis impletio ab hominibus præstari, nec justificatio ex lege ab ipsis expectari possit, revelatio ac promulgatio Evangelii manifestè comprobatur.

78. Si ex lege hereditas, jam non ex promissione. Galat. 3. vers. 18. Si esset data lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia vers. 21. sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus v. 22.

De Evangelio. 79. Verbum illud Evangelii de Christo, quod est *verbum vite* Act. 5. v. 20. Phil. 2. v. 16. *verbum vite æternæ* Johan. 6. v. 68. *verbum salutis* Act. 13. v. 20. *Evangelium pacis* Eph. 6. v. 11. adeoque unicum medium omnis salutaris & vivificæ consolationis Esa. 40. v. 1. itidem corruptelis suis depravant Pontificii, & hac ratione iterum fundamentum consolationis labefactant.

80. Docent enim in Evangelio propriè & specificè sic dicto contineri leges propriè sic dictas, comminationes & promissiones cum conditione obœdientia.

Scientiæ, Bellarm. lib. 4. de Justif. cap. 2. *Evangelii propria doctrina est*, inquit Censura Coloniensis pag. 204. *Sivus ad vitam ingredi, serva mandata.*

81. Contra hunc errorem latè disputavimus in Tract. de Evangelio §. 18. hoc loco illud monemus. Stante eâ hypothese labefactari fundamentum consolationis in Evangelio nobis propositæ.

82. Si enim Evangelium propriè & specificè sic dictum est doctrina operum ac si promissiones Evangelii habent additam conditionem legis implendæ, utique perpetuò dubitare cogimur, an ad nos pertineant Evangelii promissiones & consolationes, cum nunquam certi esse possimus, nos tantum operum cumulum afferre, quantus requiritur, ac conditionem illam additam implere.

83. *Non destruimus quidem legem per fidem, sed legem stabilimus* Rom. 3. v. 30. nec destruimus opera per fidem, sed opera stabilimus, docemus enim per verbum Evangelii dari credentibus non solum remissionem peccatorum, sed etiam Spiritum sanctum Gal. 3. v. 2. qui legem Dei in corda nostra scribit Jerem. 31. v. 31. & ad omnis generis bona opera nos impellit Rom. 8. v. 14.

84. Ipsa quoque fides per Evangelii prædicationem in cordibus accensa ejus est proprietatis ac Naturæ, ut per *dilectionem* & alios fructus Spiritus sit *efficax* Galat. 5. vers. 6. nec cum peccatis contra conscientiam stare possit.

85. Interim tamen ex eo non potest nec debet inferri, promissiones Evangelii requirere operum nostrorum conditionem tanquam meritum & causam remissionis peccatorum & justificationis, quia in actu justificationis est perpetua oppositio inter fidem & opera, Evangelium & legem, gratiam & merita.

86. Si gratitæ sunt Evangelii promissiones, non requirunt conditionem nostrorum meritorum. Si requirunt nostrorum meritorum conditionem, non amplius sunt gratitæ.

87. Si promissiones Evangelii non amplius sunt gratitæ, nobis non sunt ratæ ac firmæ, imò nec utiles. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam, ut sit firma promissio*, inquit Apostolus Rom. 4. v. 16. Ergo si nõ secundum gratiam, promissio non erit firma. Gratia autem non est gratia ullo modo, si non sit gratuita omni modo.

88. Per prædicationem legis & Evangelii Spiritus sanctus in *De Pœni-*
cordi- sentia.

cordibus hominum operatur veram ac salutarem poenitentiam, cujus partes sunt contritio ex lege, & fides ex Evangelio orta. Præcipuum illum de poenitentia articulum Pontificii eo modo tractant, ut vera ac solida consolatio territis conscientiiis eripiatur.

89. I. Contritioni inter partes poenitentiae locum quidem relinquunt, sed præter alias corruptelas, quib. sanam de contritione doctrinam pervertunt, quas examinavimus in tract. de poenit. §. 74. & seqq. tales de quantitate Contritionis ponunt hypotheses, quibus in perpetuas de remissione peccatorum dubitationes conscientiae territæ conjiciuntur.

90. Contritionem ad justificationem & remissionem statuunt esse necessariam non solum ratione ordinis, sed etiam ratione medi, imò etiam meriti, ut constat ex Bellarmino lib. 2. de poenit. cap. 8. de quantitate necessariae illius contritionis. sic disputat cap. 11. Dolor de peccatis esse debet summus saltem ut Theologi (Scholastici) loquuntur appreciativè, non autem necesse est, ut sit summus dolor intensivè. Vtilissimum tamen est peccata singula amarissimè & longo tempore ita deslere ut contritio non solum appreciativè, sed etiam intensivè & extensivè summa dici possit.

91. In eodem capite Bellarminus sic scribit. De majore peccato magis, de minore minus dolendum: dolor poenitentiae equare vel excedere debet voluptatem, quam peccando accepimus: periculum subest, ne homo se ipsum fallat & dum se ad acrem & intensam contritionem excitare non satagit, reverà ne appreciativè quidem toto corde crimina detestetur. l. 1. de poenit. c. 4. ex Catechismo Romano sic loquitur. Dolor ex contritione susceptum, adeò vehementem acrem & intensum esse oportet, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrig. possit. lib. 2. de poenit. cap. 14. in resp. ad object. 17. scribit. Nemo certò scire potest, se veram contritionem habuisse; libri ejusd. cap. 13. §. Et quidem: Illi solum poenitentia, quæ perfecta est, remissionem peccatorum tribui docet.

92. Stantibus hisce pronunciatis perpetuò homini poenitenti dubitandum erit, sitne satis contritus nec ne, ac per consequens etiam, num remissionem peccatorum obtineat, an secus.

93. Scriptura contritionem non hypocriticam, non superficialiam, sed seriam requirit, sed doloris vel appreciativè vel intensivè vel extensivè summi nuspiam meminit. Si per nostram contritionem tanquam meritum quoddam de congruo expianda essent peccata, requireretur contritio non solum appreciativè, sed

sed etiam intensivè & extensivè summa ut infinitæ DEI justitiæ & iræ adversus peccata, responderet. Vide plura in tract. de pœnit. §. 34.

94. 2. *Fidem ex pœnitentiâ partibus exterminant.* Bellarm. lib. 1. de pœnit. cap. 19. ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 6.

95. Quæ huic errori opponenda sint argumenta, exposuimus in tract. de pœnit. §. 42. & contraria argumenta dissolvimus. Ibid. §. 50. hoc loco illud duntaxat monemus, quod fidei salvificæ à pœnitentiâ exclusio firmam consolationem territis conscientis eripiat.

96. Contritio enim absque fide corda erigente & sustentante in barathrum desperationis hominem præcipitat; pœnitentiâ absq; fide in Christum non est vera & salutaris, sed falsa & exitialis.

97. *Nemo bene agere potest pœnitentiâ, nisi qui speraverit indulgentiam,* inquit Ambros. lib. 1. de pœnit. cap. 1. *Ne tuæ confidas pœnitentiæ* inquit Chrysostr. hom. 80. ad popul. Antioch. *tuâ namq; pœnitentiâ tanta nequit delere peccata, si sola foret pœnitentiâ, jure timeres; Sed postquam cum pœnitentiâ commiscetur fides & Dei misericordia, confide, quoniam tuam vincit nequitiam sola Dei gratia.*

98. Sanè Pontificii etiam mentionem faciunt fidei ac spei in doctrina de pœnitentiâ, sed intelligunt fidem Historicam specialem illam fiduciam misericordiæ divinæ propter Christum promissæ, quâ credimus, per & propter Christum peccata nobis remitti, vocant *figmentum Lutheranum.* Bellarm. 1. de pœnit. cap. 19. §. Quod verò; inde etiam lib. 1. de Justif. cap. 9. verborum Symboli, *Credo remissionem peccatorum,* hunc dicit esse sensum, *Credo in Ecclesia vigere donum remissionis peccatorum, non autem credo mihi remissa esse peccata.*

99. Spes veniæ, de quâ loquuntur, non est fiducialis apprehensio beneficiorum Christi, sed *moralis & conjecturalis quædam certitudo,* ut loquitur Bellarm. lib. 3. de Justif. cap. 11. *ac opinio potius quàm fides,* ut expressè scribit lib. ejusd. cap. 2. cujus fundamentum in nostris dispositionibus & operibus, in contritione sc. confessione & satisfactione statuitur.

100. Nos autem per fidem intelligimus veram & salvificam illam fidem, quæ amplectitur promissionem Evangelii de gratuita
Dei

Dei misericordia & remissione propter Christum Mediatorem, eamque in specie sibi applicat, nequaquam verò nostris dispositionibus, operibus, vel meritis nititur. Bernh. serm. 5. in vigil: nativ. *Sibiipſi fidere non fidei sed perfidiæ est.*

101. Bona opera dicimus esse veræ fidei testimonia, non autem fundamenta. Possumus quidem ex odio peccati, ex dilectione & studio pietatis cognoscere, nos esse ex numero verè credentium & filiorum Dei, interim ipsa fides seu fiducia de remissione peccatorum non debet niti operibus ac meritis nostris, sed solâ Dei misericordiâ in Christo nobis propositâ.

102. 3. In locum fidei *Confessionem* & *Satisfactionem* substituunt, quas duas partes unâ cum *Contritione* pœnitentiam absolvere existimant. Bellarm. 1. de pœnit. cap. 19. prop. 5. ubi addit, *Omnes Catholicos in hac sententia convenire.*

103. Quid huic opinioni ex verbo Dei opponendum & quomodo Bellarmini argumentis respondendum sit, expositum fuit in tract. de pœnit. §. 57. hac vice monemus, enumeratione illâ partium pœnitentiæ fundamentum solidæ consolationis labefactari.

104. Per contritionem enim confessionem & satisfactionem pœnitentia nondum fit *μετάνοια* eis *ζών* Actor. 11. v. 18. *καὶ σωτηρίαν* 2. Cor. 7. v. 10. nec obtinetur gratia Dei, justificatio & peccatorum remissio, nisi accedat fides in Christum, quâ solâ beneficia illa obtinentur Act. 10. v. 43. Rom. 5. v. 1.

105. Contritio & Confessio peccata & iram Dei peccatis promeritam agnoscunt, Deum iratum fugiunt; satisfactio vanam ac falsam in nostra opera fiduciam collocare docet. Fide igitur in Christum non accedente nec contritio nec confessio nec satisfactio vivificam consolationem & pacem conscientiae suppeditare queunt.

106. Necessaria igitur est fides, quæ promissiones Evangelicas & in illis Christi beneficia amplectitur, quæ à Deo irato ad Deum placatum docet confugere, quæ à throno justitiæ ad thronum misericordiæ in Christo promissæ provocat.

107. *Fides* (inquit B. Lutherus) *per caliginē mortis ac inferni videns, Deum etiam derelictorem agnoscit tamen susceptorem; Deum persecutorem agnoscit auxiliatorem; Deum damnatorem agnoscit Salvatorem.*

108. 4.

108. 4. Confessionem describunt speciali omnium & singulorum peccatorum mortalium, quæ post diligentem præmeditationem & districtum examen in mentem venerunt, circumstantiarum etiam illarum, quæ peccati speciem mutant vel illud aggravant, enumeratione in aures Sacerdotis constituto tempore factâ. Concil. Trident. sess. 14. can. 6. Catech. Roman. part. 2. cap. 5. Bellarm. l. 3. de pœnit. cap. 1. & seqq.

109. Quid de confessione illa statuendum sit, latè expositum fuit in tract. de pœnit. §. 102. & seqq. hoc loco monemus per Pontificias de illa confessione hypotheses fundamentum solidæ consolationis in verbo Evangelii propositæ labefactari.

110. Qui verè ac seriò pœnitentes obligant ad rem impossibilem, eamque requirunt tanquam necessariam ad obtinendam peccatorum remissionem, labefactant fundamentum Evangelicæ consolationis de remissione peccatorum. Pontificii verè ac seriò pœnitentes obligant ad rem impossibilem eamque requirunt ut necessariam ad peccatorum remissionem obtinendam, dum plenariâ peccatorum enumerationem ut meritum remissionis exigunt. Ergo,

111. Assumptum patet ex Psalm. 19. v. 13. Proverb. 24. v. 16. &c. unde B. Rhenanus in Scholis ad Tertull. librum de pœnit. p. 545. Scholastici nimium arguti homines talem confessionem privatam reddiderunt, ut gravis & sanctus Theologus sæpè testatus sit, eam juxta illorum deuterofes esse impossibilem.

112. Bellarminus quidem occurrere huic malo voluit lib. 3. de pœnit. cap. 17. scribens, non exigi absolute omnium omnino peccatorum enumerationem, sed eorum solum quæ post diligentem memoriæ excussionem occurrant.

113. Sed præterquam quod ejusd. lib. cap. 9. generaliter loquitur. Non possent Sacerdotes congruam pœnitentiæ actionem injungere, nisi peccata omnia cognoscerentur. Item, Necessarium est, ut sigillatim peccata omnia Sacerdotibus detegantur: notandum, quod statuunt omnia & singula peccata enumeranda esse etiam ea, quæ duobus tantum extremis Decalogi præceptis contineantur; nec solum peccatorum actus, sed etiam circumstantias. Catech. Rom. p. 2. cap. 2. de pœnit. q. 40. ac quod quidam Scholasticorum statuunt, si quis non habeat mortalia peccata, eum teneri ad confessionem venialium; quod finem confessionis statuunt satisfactionem à Sacerdotibus imponendam, qui finis cum sit generalis ad omnia omnino peccata pertinens, utique etiam ad omnia pertinebit enumerationis necessitas,

C

114. Ac

114. Ac si vel maximè Universalitas illa enumerationis eo modo limitetur, nihilo tamen minùs Confessio illa, quam & qualem Pontificii exigunt, ita comparata est, ut pœnitentes semper dubitare cogantur, an satis dignâ ac debitam in conscientia examine adhibuerint diligentiam, an cordium recessus satis diligenter exploraverint, an non plura peccata & nosse & enumerare potuerint, an circumstantias quasdam peccatum aggravantes vel in aliam speciem mutantem omiserint, &c.

115. Quando igitur statuitur, promissionem de remissione peccatorum pendere ex speciali illa peccatorum enumeratione tanquàm ex merito, incerta redditur promissio & conscientia perpetuis dubitationum fluctibus objiciuntur, cum nemo certus esse possit, an debitâ adhibuerit diligentiam in enumeratione illa necessariam.

116. Inde etiam, ne qua in absolutione Sacerdotis pœnitentibus superstes maneat consolatio, monet Bellarm. lib. 2. de pœnit. cap. 14. *eum qui dicit: Ego te absolvo, non affirmare se absolute absolvere, cum non ignoret multis modis fieri posse, ut non absolvat, licet ea verba pronunciet, si nimirum is, qui Sacramentum suscipere videtur fortè non habeat suscipiendi intentionem, vel non sit ritè dispositus, aut obicem ponat. Vide plura in tract. de pœnit. §. 107.*

117. §. Præter specialem illam peccatorum enumerationem exigunt etiam à pœnitentibus propriam satisfactionem Concil. Trid. sess. 14. cap. 8. *Divinam clementiam decet, ne ita nobis absq; ulla satisfactione peccata dimittantur.* Bellarm. lib. 4. de pœnit. cap. 1. disputat, posse ac debere hominem justitiæ divinæ æqualitatem suâ satisfactione restaurare, id est, debitum pœnæ, quod post culpæ remissionem manet, per opera bona redimere: de illorum Pontificiorum sententia, qui docent, etiam pro culpa à nobis satisfieri posse, mitissimè ibidem pronunciat, non esse necesse nunc de his subtilitatibus disputare.

118. Contra hunc de satisfactione nostra coram Deo errorem latè differuimus in tract. de pœnit. §. 118. & seqq. hoc loco notamus per doctrinam, de satisfactione propria, labefactari fundamentum consolationis Evangelicæ.

119. Si enim ad peccatorum remissionem impetrandam requiritur nostra satisfactio, quâ justitiæ divinæ æqualitas restauretur, promissio Evangelica de remissione peccatorum redditur nobis incerta, cum nemo vel possit vel debeat affirmare, opera sua coram Deo esse satisfactoria.

120. Opera satisfactoria & perfecta & infiniti valoris esse oportet, cum iustitia divina sit infinita, nec patitur sibi satisfieri nisi per æquivalens precium, unde etiã necesse fuit, Christum Mediatorem esse *δεξιθεωρον*, ut satisfactio ipsius esset valoris infiniti.

121. Jam verò bona opera piorum nec perfecta sunt, nec valoris infiniti, sed potius imperfecta & multis modis contaminata: imò cum etiã jam antè sint Deo debita, non possunt pro antecessis peccatis esse satisfactoria. Anselm. lib. 1. Cur Deus homo cap. 20. *Si me ipsum & quicquid possum, etiam quando non pecco, tibi Domine Deus debeo, quid erit, quod pro peccato reddam?*

122. A merito Christi vis illa satisfaciendi non potest in opera nostra derivari, cum Scriptura hoc non solum nuspiã dicat, sed etiam contradicat docens, Christum purgationem peccatorum nostrorum fecisse non operibus nostris vim satisfaciendi communicando, sed per seipsum æquivalens *λόγον* præstando Hebr. 1. v. 3. Ela. 63. vers. 3. & c.

123. Si nostræ satisfactiones ad reconciliationem cum Deo requiruntur, nunquã de reconciliatone poterim⁹ esse certi, sed perpetuis dubitationum gyris circumrodabimur, cum nemo certus esse possit, quando sufficienter sit satisfactum. Sed contra Apostolus Rom. 4. vers. 16. *Ideo ex fide ut secundam gratiam, ut sit firma promissio Rom. 5. v. 1. iustificati igitur fide pacem habemus apud Deum per D. N. I. C.*

124. 6. Ex doctrina de satisfactione originem ducunt Papales Indulgentiæ, per quas pœnitentibus præsertim fortunæ tenuioris hominibus eripitur consolatio.

125. *Qui nihil dat vel fecerit, non consequitur Indulgentias*, inquit Godsc. Holem serm. 2. Dom. 2. post Pascha. *Idoneitas in suscipiente Indulgentiæ requirit tria. C. Contritionem, Confessionem & Contributionem*, inquit Kaiserspergius in micis f. 43. Quæ ergo restat consolatio pro pauperibus? illi quia non sunt, ideò non possunt consolari, inquit Taxa Cancellariæ Apostolicæ cum notabilibus juxta stylum Romanæ Curia sub rubrica de matrimonialibus. Verba ejus sic habent, *Nota diligenter quod hujusmodi gratiæ & dispensationes non conceduntur pauperibus, quia enim non sunt, ideò non possunt consolari.*

126. Sed nec ditioribus, qui emunt eas, indulgentiæ multum consolationis præstant. Docent enim Pontificii in eo, qui cupit verã fructum ex indulgentiis capere, duo requiri, ut sit in statu gratiæ & ut perficiat, quod pro indulgentia fuerit injunctum. Bell. 1. 1. de Indulg. cap. 13. 5. In eo, ibi dicit, communiter id docere Theologos in 4. sent. dist. 20.

127. Jam v. ex hypothefi Pontificiorum nemo fcit, an odio vel amore dignus fit. Sic enim exponunt dictum Salomonis Eccl. 9. v. 1. quod non folùm ex eventis externis, fed etiam abfolutè negetur hujus rei fcientia in hac vita. Bellarm. lib. 3. de Juftif. cap. 4. refp. ad 3.

128. Hùc referendæ funt variæ illæ quæftiones de ftatu ac difpofitione illius, cui prodeffe poffint indulgentiæ, de quibus cum inter ipfos non conveniat, quam de fructu indulgentiarum certitudinem polliceri poffint?

129. Quærunr, an requiratur ftatus gratiæ folùm eo tempore, quo percipitur Indulgentia, an etiam cum perficiuntur opera injuncta, vel etiam cum primum indulgentia pronunciantur, aut earum literæ recipiuntur? Cajet. tract. 10. q. 2. Petrus à Soto lect. 3. de Indulg. & alii requiri dicunt ftatum gratiæ non folùm cum percipitur indulgentia, fed etiam cum perficitur opus injunctum, cum indulgentia non acquiratur nifi per opera viva, verè meritoria & fatisfactoria, qualia non funt nifi ea, quæ funt in ftatu gratiæ. Sed Antoninus part. 1. tit. 10. cap. 3. §. 1. & alii ftatuunt, non requiri ftatum gratiæ, nifi cum indulgentia percipienda eft, cum indulgentia non vitatur noftra, fed Chrifti fatisfactione. Bellarminus lib. 1. de indulg. cap. 13. §. ex his, priorem fententiam ftatuit effe tutiorem ac veriore, adhibet tamen quandam diftinctionem.

130. Quærunr, utrum non folùm requiratur ftatus gratiæ ad indulgentiam obtinendam, fed etiam carentia omnis culpæ venialis? quærunr de Confefione quæ ut plurimum requiritur, ut pars operis injuncti, an exigatur femper in re, an verò fufficiat in propofito? quærunr, an percipiat Indulgentiam, qui non perficit omnia opera injuncta, fed aliqua tantum ob inopiam vel morbum, vel aliâ juftâ causâ impeditus? quod communiter negant: quærunr, ac requiratur alia difpofitio in fufcipiente Indulgentiæ præter ftatum gratiæ & ad impletionem operum injunctorum? quod affirmat Cajet. tract. 10. de fufcip. Indulg. q. 1. ubi docet, requiri tertiam conditionem, ut fc. qui vult confequi Indulgentiam habeat propofitum Deo fatisfaciendi propriis laboribus quoad poterit, iis autem, qui nolunt pro feipfis fatisfacere, etiam fi poffint, negat prodeffe indulgentias, & ex eo colligit, paucos admodum reverà frui Pontificiis indulgentiis ex tanto numero aduentium Ecclefiarum temporibus ftationum, aliarumq; fimilium Indulgentiarum. Bellarminus l. d. judicat fententiam illam Cajetani effe utilem & piam, fed fortaffe non veram. Non enim video (inquit) quemadmodum Summi Pontifices non deciperent populos, fi Indulgentias cum ea conditione perciperent

percipere vellent, quam nunquam explicarent. Hisce ac similibus quaestionibus omnem de fructu Indulgentiarum certitudinem ipsimet labefactant.

131. Progredimur à poenitentia ad *Justificationem*; Poenitentiae verae ac salutaris essentialis ac praecipua pars est fides, quae Christum Mediatorem in verbo Evangelii amplectitur ac beneficia eius sibi applicat ad justificationem & salutem. De fidei justificatione
objecto.

132. Fides illa justificans complectitur notitiam, assensum & fiduciam: respectu notitiae & assensus objectum ejus est omne & solum Dei verbum in Prophetis & Apostolicis Scriptis comprehensum: respectu fiduciae objecti loco habet promissiones Evangelicas de Christo Mediatore ut late ostensum fuit in tract. de Justif. §. 130. & seqq.

133. De proprio illo & adaequato fidei justificantis objecto Pontificii sic differunt, ut denuò consolationis Evangelicae fundamentum labefactent. Docent enim 1. *Christum secundum humanam duntaxat Naturam esse Mediatorem.* Bellarm. l. 5. de Christo cap. 2.

134. Contra errorem illum in tract. de persona Christi §. 164. & seqq. pugnavimus, hac vice illud urgemus, quod per hunc Stancarismum infinitas ac sufficientiam meriti à Christo praestiti & per consequens omnis Evangelicae consolationis fundamentum labefactetur.

135. Sublata divinae Naturae ex operibus ad officium Mediatoris pertinentibus *ἐνεργεία* tollitur infinitas & sufficientia meriti à Christo praestiti. Sed per assertionem illam, quod Christus sit duntaxat secundum humanam Naturam Mediator, tollitur divinae Naturae ex operibus ad officium Mediatoris pertinentibus *ἐνεργεία*. Ergo per assertionem illam, quod CHRISTUS sit duntaxat secundum humanam Naturam Mediator tollitur infinitas & sufficientia meriti à Christo praestiti.

136. Major est evidens, quia nihil potest esse in effectu, quod non est in causa, infinitas meriti praesupponit omnino infinitam quandam *ἐνεργείαν*.

137. Jam verò infinita illa *ἐνεργεία* non potest in meritum ex humana Christi Natura, ut sic loquar, influere ac promanare, quia finita substantia qualis est humana Christi Natura non potest infinitum effectum ex se & per se edere.

138. Ad officium Mediatoris requiruntur non solum ea quae sunt

sunt humanae Naturae propria, ut pati, mori, sanguinem effundere; sed etiam ea quae sunt divinae Naturae propria, ut reconciliare Deum, satisfacere infinitae Dei iustitiae, introspicere arcana Dei de salute hominum decretum, superare mortem, Diabolum & infernum ex suis viribus, aliis remissionem peccatorum acquirere, quae omnia divinam & infinitam requirunt *ἐνεργειαν*, quae seorsim, ex se & per se sola humana Natura non efficit.

139. Non est, quod distinguant Jesuitae inter principium quod & principium quo. Principium quod in operibus Mediatoris concedunt esse Deum & hominem; principium quo solam humanam Naturam. Haec enim distinctio nondum satisfacit nostro argumento; siquidem illud probat, ad opera Mediatoris requiri non solum personalem divinam Naturam in humana praesentiam, sed ipsam etiam *ἐνεργειαν* in *ὑποτελέσματα* illa quasi influentem. Si enim satisfactio & meritum Christi ad solam humanam Naturam pertinet, nec sortitur efficaciam ex divina Natura, non erit infiniti valoris ac ponderis.

140. CHRISTUS non solum est Mediator ratione personae, quia est Deus & homo, distans à Deo ut homo, ab homine, ut Deus, & sic medius est inter utrumque; sed etiam ratione officii, quia ad officium Mediatoris utriusque Naturae *ἐνεργεια* concurrunt.

141. Agnoscit hoc ipse Thomas, cui alias plurimum tribuunt. Sic enim differit p. 3. q. 48. art. 6. Dicendum, quod duplex est efficiens, Principale & Instrumentale. Efficiens principale humanae salutis est Deus, quia verò humanitas Christi est divinitatis instrumentum, idè ex consequenti omnes actiones & passiones Christi instrumentaliter operantur in virtute divinitatis ad salutem humanam, & secundum hoc passio Christi efficienter causat salutem humanam.

142. Claud. Elpensæus Episcopus in comm. 1. Tim. 2. id ipsum late confirmat. Habemus (inquit) ex Graecis & Latinis magno consensu de utriusque Naturae ad Mediatoris nomen concursu necessario velut gravissimum & unanime Senatusconsultum, &c. de ratione mediationis salvificae esse utramque Christi Naturam docent, quia oportebat Mediatorem non modo satis pati, sed etiam satisfacere, quod purus homo requirit & actio Christi *δεαυδικόν*, id est, Deivirilis, seu ut ita dicam, humani divina dicitur, ut deducit Damascenus lib. 3. de orth. fid. cap. 19.

143. Nec est, quod regeras humanam Christi Naturam *ταύτην* *θεϊκῆς ἐνεργείας ἢ ἀνθρώπου* donatam talia opera per se solam efficere posse

posse, Jesuitæ n. hac exceptione uti nequeunt, cum realem divino-
rum idiomatum Christo secundum humanam Naturam esse factam
contra Scripturam & piæ Antiquitatis consensum disertè negent.
Bellarm. lib. 3. de Christo cap. 1. Busæus contra Gerlachium, &c.

144. Nos realem illam communicationem docemus, sed ex
ea minimè inferri potest, divinam Christi Naturam propterea
ab operibus Mediatoris excludendam esse, quia illa communica-
tio non est physica quædam transfusio vel essentialis quædam,
μίξις ita comparata, ut idiomata illa facta sint humanæ Naturæ
propria & subjectivè illi inhaereant, sed est communicatio perso-
nalis ita comparata, ut divina Natura τὸ Λόγος in, cum & per Natu-
ram humanam ea exerat.

145. 2. Docent etiam Christum in proprio suo officio esse novum Le-
gislatorem, qui in Evangelio tradat novam legem, perfectiora, sevia & ex-
cellentiora præcepta, quorum observatio afferat perfectè obædientibus vitam
æternam. Concil. Trident. sess. 6. can. 21. Barrad. lib. 2. Con. Evang.
cap. 20. Bellarminus lib. 4. de Justif. cap. 3.

146. Hunc errorem oppugnâvimus in tract. de Evang. §. 64.
& seqq. hoc loco dicimus assertionem illam Pontificiâ fundamentum
consolationis Evangelicæ concuti.

147. Si enim Christus in officio Mediatoris est novus Legis-
lator, utique promissiones Evangelii non ampliùs sunt gratuita &
per consequens incertæ, imò inutiles redduntur, cum nemo certus esse
possit, an perfectam legi novæ præstiterit obædientiam.

148. Atqui Iohannes cap. 1. v. 17. Christum & Moſen Legis-
latorem sibi invicem opponit. *Lex per Moſen data est, gratia autem &
veritas per Christum nobis facta est*, ac D. Apostolus Christum eo fine
in mundum venisse asserit, non ut novas leges promulgaret, sed ut
à maledictione legis nos liberaret Gal. 3. v. 13.

149. 3. Negant etiam Christum Mediatorem esse proprium & ad-
æquatum fidei justificantis objectum. Gotthardus Canon. Patav. in de-
fens. Eccles. Cathol. p. 115. *Lutherani præter fidem Historicam novam
quandam specialem invenerunt, quâ meritum Christi apprehendimus ac no-
bis peccata remissa esse ceriò statuamus, eam nos non secus ac pestem exe-
crâmur.* Vide Bellarm. lib. 1. de Justif. cap. 4.

150. Argumentis ipsorum responsum fuit in tract. de Justif.
§. 136. & seqq. hoc loco monemus, negativâ illam Pontificiorum
Antithesi Evangelicæ consolationis fundamentum labefactari.

151. Si enim promissio Evangelica de Christo Mediatore nullâ ratione aliâ est fidei justificantis objectum, quam doctrina legis & operum, nullâ certè ex Evangelicis promissionibus consolatio ad credentes redundare potest.

152. Doctrina legis arguit, accusat & damnat nos propter peccatum Rom. 3. v. 20. cap. 4. v. 15. Gal. 3. v. 22. in illa igitur fides non potest quærere remissionem peccatorum & justificationem Rom. 3. v. 20. 22. Gal. 3. v. 10. 12.

153. Quod si promissiones Evangelicæ non aliter nec alio modo sunt objectum fidei, quam reliqua, quæ in Dei verbo proponuntur, ac si fides non aliter nec alio modo amplectitur Christum in verbo Evangelii oblatum, quam reliqua, quæ de Dei justitia & ira, de legis præceptis & comminationibus de Diabolo & inferis in Scripturis sacris credenda & amplectenda ponuntur, nullam consolationem habebunt conscientiaæ territaæ, quam sensui iræ divinæ & tentationibus de peccatorum magnitudine opponere possint.

154. Cujusvis verè pii ac credentis conscientia experitur, quod in gravissimis tentationibus nulla alia in cælo vel terra consolatio inveniri queat, quam quæ ex Dei misericordia in Christo nobis proposita unicè hauritur. Aut igitur concedendum, Christum cum suo merito vel quod idem est, promissionem Evangelicam de Christo Mediatore esse proprium & adæquatum fidei justificantis objectum, aut omnis consolationis Evangelicæ fundamentum evertitur.

155. Nec est, quod Bellarmin. regerat, *ad huc in questione esse an sit fidei justificantis officium, homines de remissione peccatorum certos reddere* lib. 2. de Justif. cap. 11. illud namque certis & immotis Scripturæ fundamentis niti suo loco ostendimus, hoc loco unicum illud Apostoli pronunciatum expendere jubemus Rom. 5. v. 1. *Justificati fide pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.*

Ad Præstantiss. Dn. Mag. Resp.

Idea candidi COLERE pectoris, Sacriq; consilii requiris en basin,
Notate solius nigrore nominis, Bonus COLERE sic eris Theoricus,
Theoriam sacram secutus hætenus, Bonus COLERE sic erisq; Practicus.
Ad ipsa praxeos recedis intima,

JOH. GERHARD. D.
DISP. II.


00 A 6341


ULB Halle 3
002 919 516



W 02 - Retro ✓







DEO TER OPT. TER MAX.
ANNUENTE.

Disputationum Theologicarum

IN QUIBUS FUN-
DAMENTA VERÆ ET
VIVIFICÆ CONSOLATIONIS PER
Pontificias, Calvinianas ac Photinianas do-
ctrinæ cœlestis corruptelas labefactari,
ostenditur,

PRIMA.

Ad publicam συζήτησιν
proposita

à

JOHANNES GERHARDO
S. THEOLOGICÆ DOCTORE ET
in Academia SALANA Professore.

QUAM

defendendam suscipiet

M. JOHANNES COLERUS
SCHLAICENSIS VARISCUS.

Ad diem VIII. Id. Martii.

Horis & loco destinatis.

ANNO M. DC. XVII.

F E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.

